

August Varenius Christian Fromm

**Partis II. In Schola Isaiana Disputatio XIV. Exhibens Inscriptionem Massa Zor,
Seu Manifesti Dei Bellici Adversus Incomparabilem Quondam Tyrum Ex Cap. 23.
Isaiae**

Rostochi[i]: Richelius, 1658

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn775827649>

Druck Freier  Zugang




Ru Med 1658

August Varenius 1c

Vert.: Christiana Fromm

XIV



30.
PARTIS II.
In
SCHOLA ISAIANA
DISPUTATIO XIV.

Exhibens

Inscriptionem

M A S S A
Z O R.

SEU

MANIFESTI DEI BELLICI
ADVERSUS INCOMPARABLEM
QUONDAM TYRUM
Ex Cap. 23. Isaie

Quam

כִּי יִהְיֶה כִּי יִהְיֶה

PRÆSIDE

AUGUSTO VARENIO,

SS. Th. D. Hebraicorum & Catech. Christ. Prof. P.

*Eruditorum objectionibus responsurus
defendet*

CHRISTIANUS Fromm

BUTZOVIA-MECKLENB.

*Habebitur die 17. Julii, horis à 3. Postmer,
in Mesopotamici Collegio.*

☞(☞):(☞):(☞)

ROSTOCKI,

Typis Johannis Riebelii, Senatûs Typogr. 1658.

Manf. Levin findler.

PARTIS II.

SCHOLA ISAIANA

DISPUTATIO XIV.

de

Interdictione

M A S S A
Z O R

MANIFESTI DEL BELlici

ADVERSUS INCOMPARABILEM

CAUSAM TYRUM

Dr. G. P. de

Caesari

1712

1712

AUGUSTO VARENIO

et Th. D. Medicorum & Chir. Prof. P.

in Universitate Lipsiensi

definit

CHRISTIANUS TOMIUS

BUTSOWI-MECKLENB.

Tabularum de ...

in ...

1712

Lipsia

Typis Johannis Kiehlmann, Senensis Typogr. ad ...

ORATIO XII.

Concl. 1.



Allem Visionis Hierosolymitana-
nam Tyrus sequitur, Metropolis Judao-
rum, metropolis incomparabilis quon-
dam in Orbe gentium: eademq; et si per
צְרוּרָה וְצִיּוֹן s. צְרוּרָה & אֲרָמוֹת,
quos vocat Apostolus Act. 17. 30. Vallis
fœdissimè idololatrica, tamen ex quo
procedens eis & ματέρα Τύρου καὶ
Σιδῶνος Matt. 15. 21. Marc. 7. 24. 31. il-
lustravit eam Φῶς eis διακάλυψεν ἰδῶν, facta æquè Vallis Visionis,
& metropolis gentium Christianissima, prout illa Jerosolymitana fue-
rat Vallis Visionis, & non politia saltem: sed & religionis metropolis
Judaica, ipsorumq; Apostolorum & Judæorum credentium in Con-
sanguineum crucifixum acropolis Christiana. Neque caret arca-
no immediata sequela Tyri post Vallem Visionis. Copulatur alibi
Tyrus in suppositione Prophetica Ecclesie Christiane gentium,
cum Ecclesia Christiana Judæorum. In Epithalamio Regis Mes-
siae Davidico, seu, uti dedicator titulum dedit, אֲרָמוֹת אֲמֹרִים
Amo-
rum ineffabilem Canticum, Psal. 45. Sponso Regi pulcherrimo, gratiis la-
biorum discretissimo, benedicto, gladio majestatis accincto, triumfanti in
veritate, & justitia Evangelica verbo, hostibus tremendo, insigni infinito
æthæro & patenti sceptro, DEO sine pari Unctio, & ex illa Unctione inti-
mè & copiosissimè caelestibus odoribus fragrantissimo, non saltem adduci-
tur in v. 10. אֲרָמוֹת conjux Regina ex Judaico populo nata Ecclesia
Christianissima: sed ad hanc Messiae Regis & filiam & conjugem, do-
mus carnalis patria jam obliviscens, & ad dextram Sponsi Regis ad-
stantem, Ophirino fulgidissimam, adducitur quoque in v. 13. Filia Tyri,
non imà saltem plebe: sed & per optimates & divites populi deprecatur
muneribus vultum Reginae primarie, & per illam ejusdem Regis

Ee

Sponsi

Sponsi fruitura communionē: ut ita loco *Patrum*, ex quibus est Rex Sponsus *דוד* *דוד*, nunc filios habeat, non saltem qui sint Consanguinei Conjugi Judaicæ: sed & Tyro gentili, & ita ex orbe *Judeorum* & gentium habeat Messias Sponsus, quos constituat Principes in universâ terrâ vid. v. 17. Ita autem v. 13. accipiendum, ut illud *עַד עֵשֶׂר* ad subjectum sc. *כַּת כַּת* pertineat, & Filiam Tyri esse formale & materiale subjectum, ne quis *Filiam Tyri* cum *Reginâ conjugē* confundat, & ex inapplicabili hîc Idiotismo ita resolvat: *Etiâ divites populi munere faciem tuam, Filia sc. Tyri, deprecabuntur, in Triumphis Davidicis ad lib. 2. Psalm. loco 2. Sect. 5. sub titulo Tyri Christianæ* probavim⁹, ubi de totius hujus hymni argumento plura.

Concl. 2. Benè in h. l. Rivetus: *Hac omnia in Christum & Ecclesiam perfectissimè quæ adiant: prædicatur enim populos Tyri, externasq; gentes ad Ecclesiam venturas cum muneribus, quæ ipsi offerant: imò propter ejus magnificentiam & gloriam sibi communicatam à Christo Sponso suo veneraturos eam omnes Reges & Principes cujuscunque plebis, deprecantes eam, ut ipsos sibi veli adjungere & sibi unice in Sponsi sui communionem recipere. Non ergò restringenda hæc ad Tyrum exclusivè: sed in quantum illa representat orbem gentium s. omnes extra populum Judaicum, tanquam metropolis uti Cananæ regionis: ita luxus & Idololatria. Prædicat ergò gentium conversionem ad Ecclesiam & quod hæc non solum Judæos: sed etiam Tyrios, Sidonios i. e. innumeram multitudinem gentium sit complexura. At, quod idem Christo tanquam Prototype, Salomoni autem ut Typo sacrum hoc Epithalamium dedicatum statuit, ita ut omnia hymni suo quodam modo Salomonem respiciant, quatenus fuit figura & typus Christi, licet non pauca sint, quæ de Salomone PROPRIE & PRÆCIPUE intelligi nequeant: ut Salomoni tanquam imagini, etsi interdum angustè, agrè, hyperbolicè: prius tamen tempore, etsi non dignitate omnia competant & c. c. in v. 13. prædicat Vates gloriam Sponse Salomonis, Filie Pharaonis, quod Tyro illi nuptiæ alia muenera fuerint afferenda (verba sunt Riveti l. alleg.) nequaquam probamus. Et mirum haut vidisse mantica quod in tergo est, quando in *Dialysi Grotianæ* discussionis p. 588. acerbissimè movit urnam H. Grotii loca quædam V. T. e. c. Jer. 31. 31. immediatè de rebus Judæorum explicantis, ita, ut*

EMINEN-

EMINENTIUS tamen ad Christum & novum populum accommodanda illa non negaverit, e. c. locum Ies. 7. & 9. de Chiskia c. 53. de Jeremia, ita tamen ut SUBLIMIUS magis, & דָּבָרֵינוּ aliquid dicant in Christum. Non laudamus, inquit Rivetus, petulantiam Grotij. Ruit sic argumentum nostrum de morte Christi satisfactoria contra Judaeos & Photinianos. Si Grotij interpretationes sunt verae, nihil planè in toto illo capite adversus Judaeos pro Christo poterit esse usui: nec inde contra Photinianos vera Christi satisfactio probari. Quis enim hanc eminentiam persuadebit Judaeis, quando semel id eis concessum fuerit, hac immediatè & ad literam ad res Judaeorum referri. Optandum hujus memores fuisse Zelotas in eadem Scholâ, qui concoquere non potuerunt titulum Calvini Judaizantis.

Concl. 3. Copulatur in Hosea c. 9. 13. Ephraim & Tyrus s. Ecclesia Judaeorum, & gentium Christianorum. Lutherus noster expressit: Ephraim/als ich es ansehe / ist gepflanget und hüpfet wie Tyrus: muß aber nu ihre Rinder herauslassen dem Todtschläger. Requiritur positus אפרים כאשר ראיתו כצור שתולה בנוה. Alii'aliter, qui in illo ferè conveniunt: illam plantationem in habitaculo ameno seu in caulâ vel ovili, ad solam Tyrum referendam: in quo erratum. Omnino vel ad Ecclesiam Ephraimi tantum, vel ad utramque & Ephraim & Tyrum illud referendum, ut ita copuletur Ephraim cum Tyro, uti in respectu illo gratioso divino: ita in plantatione in habitaculo pulcherrimo s. uno ovili Ecclesiastico (in memb. 1.) distingvatur autem in membro 2. Scilicet uterque quidem & Ephraim & Tyrus ex respectu gratioso DEI vocantis plantantur in ovili: sed Ephraim educet filios suos occisori. Completum & illud, & quod Propheta subjungit vorum v. 14. ושרים צמקים חם משכיל ושרים צמקים. s. Uteri abortientis, & uberum arentium in diebus illis, quos in itinerario crucis Filiabus Hierusalem lamentantibus explicuit ô s. אַנְשֵׁי צֹדִיק וְנוֹסְתֵי נֶפֶשׁ noster, quando sc. astimandi erant beati ventres qui nongenuerunt, & ubera qua non lactaverunt Luc. 23. 29. quando sc. filij Ephraim ob rebellionem reprobati à DEO Israhel, futuri erant ad mortem usque palantes inter gentes, velut idem obsignat Propheta. c. 9. ult. Coeterum in Isaiâ nostro copulatur Tyrus

cum *Valle Visionis Hierosolymitanâ* in supplicio & excidio: utriq; scilicet intimatur *MASSA*: ut sit titulus præfens **מַסָּא** de quo nunc acturi, & in primis duas quæstiones scilicet. 1. de quâ *Tyro hinc agat Prophetâ* 2. *Quædo adimpleta hæc prophetia* expedituri, præmittimus quædam usui in sequentibus futura, de *Tyri veteris seculari eminentiâ*, de *Tyro Idololatricâ & Tyro Christianâ*.

Concl. 4. *Incomparabilem* appellatus gentium occidentis metropolin, Tyrum veterem. Testes hinc annales & sacri & profani, imò nomen ipsum, & antiqua nominis memoria ostendit Tyri *munitione sine validaq; urbis Domina potentio rem principatatem*. Dubium enim nullum, quin Tyri nomen antiquum à **מַסָּא** Hebræorum, unde & olim *Sarna*, *Sora*, & hodiè *Tur*, ut non satisfaciat *Lorinus com.* in Act. Apost. dictum *Tyrum à Thiras* Japheti filio Genes. 10. 2. Si in Genealogiâ illâ Noachidarum Mosaicâ caput allegandum, malimus *Chami* ex *Canaanepotem*, primogenitum **צִדוֹן** *Zidonem*, Gen. 10. 15. utriusque & *Sidonia & Tyria* gentis, urbisq; Auctorem nominare, præeunte nostro *Vate*, qui v. 11. Tyrum vocat *Sidonis filiam*. *Sidona urbem vetustate famâq; conditorum inclutam*, *Curtius* vocat lib. 4. neque negat talem quoque Tyrum fuisse, quam l. eod. *Urbem vocat & vetustate originis & crebrâ fortuna varietate insignem ad memoriam posteritatis*. Sanè antiquiorem Tyro *Sidona*, quicquid sit de *Agenore*, & origo probat, & appellatio amplior *Sidonis*, quomodo non saltem apud *Poetam*, Tyri nata, *Sidonia* *Dido*: sed & apud *Homerum* Ἡρώς Σιδωνίων βασιλεύς; ipsaq; Σιδωνίη & νεοκρήνη, uti *Φοίνικες ἀγαυοὶ* memorantur *odys.* 4. & 13. & cum sæpè *Sidon* celebretur apud eundem, *Tyris* nunquam: sed & *Sidonis* hujus mentio in *Genesis*, in *Testamento* 12. *Patriarcharum* Gen. 49. 12. Omnino tamen *Homeri* (quem *initio* *Isaia* *Propheta* *Doctoralibus* σύγγραμμων fuisse, ex eo quod *Herodotum*, cujus in *Artaxerxis* *Longimani* tempora incidit ætas, 400. annis antecessisse ab ipso memoretur *Herodoto* in *Euterpe*: Ἡσίδων καὶ Ὀμηρον ἠλικίῳ τελευτήσασιν ἐπὶ δουρίῳ μὲν, περὶ ἑσπέρης ἑμείδου καὶ σὶ πλείοσι, colligere licet) ætate insignem Tyrum,

Tyrum, imò opibus, potentia mercimoniis, regaliq; splendore floruisse, ipsiq; Sidoni Reges sæpe dedisse ex Geographiâ terra sanctæ, in quâ expressa & צִירוֹן רְבֵה *amplissima Zidonis & מצור* *munimenti Castellæ Tyri, der Festung Tyrus/vel Tyrus Feste/sit mentio* (licet, si quærat an Tyrus & Sidon ibidem Jos. 19, 20. recenscantur, velut hæreditates ex cœlesti assignatione & terminorum prædestinatione, Israeli debita, & in illa descriptione sub Josuâ per sortes tribui Afer, quæ tamen illas velut validas potentesq; metropoles debellare tunc ausa non fuerit, adjudicata? an verò saltem nominentur ob celebrem, inprimis Messæ tempore, futurum terminorum contactum, vel, ut sine speciali jure superioritatis, tantum finitimæ Aferitis, ita ut Tyrus & Sidon fuerint extra fines Geographicos Israelis? affirmemus posterius.) ex illâ incomparabili templi & aulæ Salomonis architectonicâ, ex preciosissimâ *per mare rubrum* navigatione Africanâ Ophirinâ, ex totâ Regum Israelis incomparabilium Davidis & Salomonis historiâ, apparet.

Concl. 5. Fertur in hæc, etsi Sidoniorum quoque Dominus, ut ab illo adeò Salomo sine recognitione alterius Sidoniorum Regis impetrare potuerit Magistros 1. Reg. 5. v. 6. 2. Chr. 2. 3. 8. 11. titulo en. tunc eminentiore, Tyri Rex appellatus, Chiram celebratissimû, velut *perseverans Davidi Regis*, & derivatâ in hæredem ejus amicitia, Salomonis quoque constans *Frater, Amicus*, & utriqve *Rex confederatus* 1. Reg. 5. 1. 12. c. 9. 13. velut magnifica *Cedrorum, lignorum abiegnorum, auri* quoque ad 120. talenta, *operarum, & Magistrorum*, quos inter eminuit incomparabilis ipsiq; Regi Tyrio cognominis *Churum* vid. 1. Reg. 7. 14. 40. 2. Chr. 2. 13. subministracione, subditorumq; tam Sidoniorum quàm Tyriorum vid. 1. Chr. 2. 3. 4. ad liberalem contributionem provocacione, partim sub Davide 2. Sam. 5. 11. 1. Chr. 15. 1. magis autem sub Salomone vid. 1. Reg. 5. 1. 9. c. 9. 14. (*ubi & nautica Salomonis Ophirina per Magistros Tyrios & Sidonios* אֲנָשֵׁי אֲנֹוֹת יָדַי הַיָּם que *Schiffleute und auff dem Meer wol erfahren*) administrata, attollit *Churum Tyriq;* celebritatem vid. 1. Reg. 9. ult. c. 10. 22. 2. Chr. 8. 18.) inclutus & splendidissimis legationibus, votis & vinculo *amoris Davidici* in Salomonem deinceps translatus

Regale candidumq; pectorale, testatus, velut 20. urbibus Galilæe superioris s. occidentalis, Salomoni redditis, ampliator Palaestinae limitum magnificus 2. Chr. 8. 2.

Concl. 6. De quo facto Salomonis, inprimis Allophylo Regi 20. urbes dantis, & extra tribus alienantis hereditates Israelis 1. Reg. 9. 12. cum summum sit bellum, commentatorum, & quaestiones nobiles e. c. 1. An ille 20. urbes reverà sine à Salomone datae & à Chiramò acceptae? Respondemus Aff. utrumque. Salomo Dominus urbium illarum, dedisse Chiramò, tèr dicitur 1. Reg. 9. 11. 12. 13 Reverà ergò Chiramò acquisitum illà traditione dominium & sic incepit possidere civiliter & animo Domini: ad quod opus haut erat, ut per singulas urbes tradendas iret vel ipse Chiramò, vel ejus delegatus, vel ut exemplò excusso Salomone daretur ab incolis Chiramò Ususfructus: & ita hunc possideret naturalitèr. Qvæ. 2. An Salomò cesserit Chiramò solum usumfructum, sive totum, sive partè s. solum dominium utile illarum 20. urbium, sive cum, sive sine possibili sequelâ consolidationis, vel usucapionis? an dominium plenum s. usum cum proprietate? Resp. Aff. 2. In loco sup. alleg. nulla est exceptio s. reservatio, quæ ostendat Chiramum Salomonis emphytevticarium, vel saltem usufructuarium. Urbes dicitur dedisse, non vestigalia urbium. Sed hic qværitur 3. An legitimare potuerit illam tot urbium alienationem Salomò, an verò contra jus & Regis & Regis Israelis egerit? Resp. Egit omninò contra jus divinum, sive usumfructum ut semper abicessurum, reservatà successoribus inutili proprietate, sive ad certum tempus, sive ipsam quoque proprietatem transtulerit, & mansisset Successori Salomonis jus, à Chiramò, etsi bonæ fidei Possessore, ante exceptionem Usucapionis, recuperandi illas urbes, si fuissent inem funiculos mensorios terræ Israelis, cujus hereditates, tantum abest, ut egredi illos & ad externos alienari potuerint, ut ne quidem intra illos migrare potuerint vel de familiâ in familiam, nedum de tribu in tribum: at omninò urbes illæ fuerunt extra funiculos Mathematicos s. Geographicos veteres Israelis, sive per Pharaonem nuptiarum occasione, sive bellis Davidicis, sive aliâ deditioe factæ peculium Salomonis, inductis mobilibus

mobilibus coloniis, neque adeò tunc fuerunt magis fors tribus Ascher, quàm vel ipsa Tyrus, & Sidon, ut ita alienatio illa possibilis fuerit salvo jure terrestri tribuum Israelis. Probatur ex Geographiâ sacrâ Josuæ 19. 27. ubi tam idem *Cabul* f. *כבול* terminale tribui Ascher, quod 1. Reg. 9. 13. quàm non alia ibi *Sidon* v. 28. & *Tyrus* v. 29. ac illa cujus Rex dicitur *Chiram* 1. Reg. 9. 11. Neque à *Chirama* nomen regioni illarum urbium *כירם* impositum, magis probatur, quàm quod de illius vocis significatione vulgò adducitur ex lingvâ Phœnicum. *Quæritur* 4. An *Chiram* Salomoni easdem urbes, reddiderit? an permutando alias Salomoni urbes dederit 2. Chr. 8. 2.? *Resp.* Aff. prius, ex collatione textus hujus cum superiori 1. Reg. 9. 11. 12. 13. tum quoad Chronologiam tum quoad Sequelam rerum parallelam. Donum autem illud *Chirami* non absolvitur solo jure ususfructus. Reddidit urbes E. verè jam antea in illas jus & dominium habuit, verè possedit, licet iidem adhuc inhabitarent. *Neque enim idem est possidere & alieno nomine possidere. Nam possidet cujus nomine possidetur.* l. 18. ff. de acquir. vel amitt. possess. neque adeò propterea hîc magis opus fuit corporali traditione, quàm si donetur mutuatorio commodatum. Dedit Salomò urbes: accepit *Chiram*: cum post intervallum hic lustraret & minus placerent, statuit gloriosius sibi, prævio blandiore Elencho, Fratri Regi, sine recompensatione creditorum ad utramque architectonicam, illas urbes reddere & magnificè donare. Ita dat *Chiram* urbes, accipit Salomò, & introducitur novas Israelitarum colonias. Factum utrumque post 20. annos architectonicæ. Consulantur loca allegata.

Concl. 7. Adumbravimus *Tyri regaliæ* veterem præeminentiâ, quæ etiam magis patebit, si legantur, quæ de terrestri & Politicâ *Tyri* veteris gloriâ admiranda scripserunt duo Prophetæ *Isaias* c. 23. & *Ezechiel* capp. 26. 27. 28. sed & patebit ex superioribus, non falsos hic Autores profanos, *Plinium* lib. 5. c. 19. *Strabon.* l. 16. *Curt.* l. 4. *Diod. Sic.* 17. *Bibl. in an.* 4. *Alex. Solin.* c. 30. *Joseph.* 8. *Ant.* c. 8. *Pom. Mel.* l. 1. c. 12. qui summis illam celebrarunt laudibus, propter antiquissimum Conditorum, maris totius dominatum, primam

nam literarum doctrinam seu disciplinam, colonias ex eâ deductas Carthadam i. e. in novam urbem, lingua Syro Phœnicum, s. Carthaginem in Africa (quæ Urbs antiqua Virgilio l. i. Æn. dives opum, studioq; asper-rima belli: certè Tyri filia, quam proinde Tyri tenuere coloni & in quam dici quondam poterat: Punica regna vides, Tyrios & Agenorie urbem) Thebas in Bœotia, Gades ad Oceanum: sed & ob exquisitam purpuram, ob excellentiam nauticam, ob ipsius loci in pœrâ siti muris, curribusq; quas undiq; præaltum mare ambiebat, (dividente urbem à continenti, angusto quidem, quippe saltem quatuor stadiorum s. dimidiati miliaris Romani: sed impetuossimo freto) nauticam, propter Asia, Africa, ipsiusq; Nili viciniam, per quam Tyrus Asia, Europæ Africæq; incomparabile tunc erat Emporium.

Concl. 8. Ita post Davidis & Salomonis confœderatorum sibi Regum tempora per omnia Reipubl. Judaicæ secula processit florida Tyrus coronata, memor veteris fœderis & Regum fraternitatis, nisi quod ab Assyriis, Chiskia ætate, pax illius paululum turbata, quod tamen insigni, quam à *Salmanassare & Phœnicum classe* ipsa tunc reportavit victoria, satis compensavit. Inde in Vicinos Hebræos, præter consuetudinem antea à Regibus Tyri observatam, insolentè ferox facta, videtur illa perpetrasse in Judæos, ad quæ in Massa Tyri respectum habent duo Prophætæ, Amos. 1. 9. 10. Joel 4. 5. 6. sed & in funere metropoleos Judaicæ Babylonico vehementè tripudiasse, & novos floridioris etiam status triumphos exinde concepisse, notatum à Prophætâ, qui proinde publicat illi Tyro & Sidoni ab eodem Nebucadnezare Babylonio paplo post funus Hierosolymitanum inferendum terribile excidium vid. Ezechiel. c. 26. v. 2. 3. 7. & seqq. ut aded post illud periculum Assyriacum, hoc sit primum Massa Tyri, idemq; Babylonicum. Magno constitisse Nebucadnezari Urbis illius hæctenus illibata Virginitas expugnationem, expugnasse tamen, & horrendam illi vastitatem inculisse, etsi majore belli apparatu, quàm Spoliorum præmio, ex collatione Ezech. 29. 18. cum c. 26. 7. & seqq. constat. Mansit tunc idem & commune periculum Sidonios, quod ex Jer. 28. 21. & seqq. probatur. Ex illo funere renata quidem Tyrus: sed solis reliquiis & nomine primo
ralis

talīs (Urbs, muris, turribus alia, nec situs idem, etsi, in propinquo Tyro veteri desolata à Babylonio, & ut contra vim validior esset, magis à continenti sejuncta) usque dum gloria quoque prima sive sumeretur sive redderetur, cum novis etiam incrementis: unde post 270. annos successit secundum *Massa Tyri*, idq; *Macedonicum*, ubi desolata Tyrus per Alex. Magnum. Urbem intrandi licentiam causâ religionis poposcerat Alexander M. Tyrus quæ *Societatem Alex. posebat, imperium volebat*, maluit obsideri, nisi loco, & filiz Carthagini, quæ auxilia quidem splendidè matri per Legatos promisit: sed novissimè nil præter solatia misit. *Videns Alexander obsidionem & difficilem & longam, & magno sibi impedimento futuram Caduceatores, qui pacem Tyro persuaderent, misit, quos Tyrii contra jus gentium occisos precipitaverunt in altum: quâ crudelitate Tyri motus Alexander, etsi in ipso opere sæpè fatigat, & utrum perseveraret, an abiret, satis incertus, urbem continenti commissam, septimo, quam oppugnari terrâ marisq; cæpta erat mense, cepit, virginibus puerisq; qui in templa confugerant, conjugibus item liberisq; quos devehendos Carthaginem Legatis tradiderant exceptis, armatos interficere, & duo millia, in quibus occidendis rabies defecerat, crucibus affigi, ut per ingens litoris spatium penderent, iussit.*

Concl. 9. In quâ historiâ (quam apud Curtium legere est) tria nunc notamus. Unum de *Sidonis*, qui tunc inter *Victores* quidem Tyrum intraverunt: sed cognationis memores, facti Tyriorum protectores, quindecim millia ad sua navigia perducta Sidonem devecta, sævitia Victoris Alexandri subdixerunt. Apparet inde tum cognatio utriusque gentis, & vicinia utriusque Phœnicia Urbis (270. stadiis s. 8. mil. Germ. circitèr distabant) tum privilegium tunc Sidonis deditis se Alexandro Victori, tum Sidon propriis tunc regnata Regibus, quos inter Strato Vassallus Darii, & Abdolonymo longâ quidem cognatione stirpi Regia annexus: sed ob inopiam suburbanum hortum exiguo colens stipe, nunc Rex, Alexandro confirmante & regionem Phœnicia urbi appositam ditioni ejus adjiciente, quâ de re legendè idem Curtius l. 4. §. 1. Secundum de *Paletyro* Curtii: Memorat ille, Alexandrum, ut Herculi sacrificaret, intraturum Tyrum, ablegatum

gatum à Legatis Tyriorum, qui in castris erant, ad templum Herculis extra urbem in ea sede, quam Palatyrus ipsi vocent: ibi Regem DEO sacrurum ritè facturum: unde Alexandro exarsit dolor ossibus ingens, & illud Senatusconsultum castrense: *jungendam Tyrum insulam continenti, & ferro aperiendam viam.* Meminit idem. Exaggerandæ illi immani moli, quæ fretum inter Tyrum & continentem impleret *magnam vim Saxorum ad manus fuisse Tyro vetere præbente.* Videndum annon illa Palatyrus fuerit Tyrus vetus desolata à Babylonio, ut adeò hæc Palatyrus, tempore Alexandri, ostenderit ipso suo cadavere vestigia excidii illius Babylonici, ne quis per florentem ad Alexandri tempora Tyrum dubitet de complemento seu veritate Vaticinii Ezech. 26. 7. & seqq. quod intimat שׁוֹר צוֹר יְבוּס כַּחֲרֹט עַד עָרֹם f. *absolutam illius Tyri veteris sub Babylonio desolationem.* Tertium de fretis 4. *Stadiorum inter Tyrum & continentem,* quod immani arborum lignorumq; nexa mole ducentosq; lato pedes aggere implevit, & adeò Tyrum insulam continenti commisit Alexander. Apparet omninò ex Libro Bellorum Domini eodem Consilio usum jam antea Nebucadnezarem Babylonium in obsidione Palatyrus & hæc arte Palatyrum et si terris propiorem, in continenti collocatam debellasse, ut non contradicat Hieron. in c. 26. Ezechielis, idem tribuens *Nabuchodonosori,* quod Plinius, Diosd. Siculus, Curtius *Alexandro Magno.*

Concl. 10. Apparet, hoc Massa Tyri Alexandrinum à Sacharia cap. 9. v. 2. 3. 4. intimatum. Summa illius, adusque v. 10. *Zor altum sapiens expugnabitur, illo false sapientiæ apparatus, munimentis, opibus, possessionibus, classibus exuetur, igni absumentur: cæterum ita excisa surget de funere & renata, velut in orbe gentium terminante terram sanctam clarissimum nomen, unà cum Sidone, Phlistinà & Antiochena, unietur Damasco metropoli Christiana, & sic Ecclesia Christiana gentium, eodem gavisura privilegio, quo Christiana Judeorum, consecrata erit DEO Israelis: Unde jam ille Sionis luctus v. 9. ob Messiam Instauratorem & Oratorem Pacis non solum apud Iudeos: sed & gentes: v. 10. atque ita legitimatur ratio thesæos prophetica de Orulo sùm Gentilium, cum tribuum Israelis respecturo ad יְהוּדָה v. 1.*

Concl.

Concl. II. Ita binis jam gravioribus casibus defuncta, post hoc quoque excidium *renata Tyrus*, unâ cum opulentâ Sidone maritimarum urbium tunc faciliè maximâ, & longâ pace cuncta refovente (verba sunt Curtii I. alleg.) sub tutelâ Romana mansuetudinis acquiescens, eminuit (celsi ex quo Insula esse desit annexa continenti, nunquam ad par terrestris gloriæ fastigium rediit) adusque felicissima tempora SALVATORIS: unde in historiâ Evangelicâ frequens metropolium celeberrimarum *Tyri & Sidonis* copula: sed & exemplum ingentium illorum Spirituum, quos olim objecerunt Alexandro, deminutorum, memoratur Act. 12. 20. *Consilium prudens*, qui cum Herodes, non *Ascalonita*, nec *Antipas*: sed *Agrippa, Magni Herodis*, sub quo natus Christus, ex *Aristobulo nepos*, jam esset *Θυμοειχων* s. mente bellum moliens, indicturus mox illud *Tyriis & Sidoniis* (causam iræ Batonianam ex antecedenti contextu & Metaphrasta suo malè deductam, de *Petro ex carcere liberato* v. 19. ad *Tyrios Sidoniosq;* *Ecclesiarum ibi regendarum causâ profugo*, non admittim^o) hi domi concordēs maluerunt occupare, & missâ solemnī legatione, per *suasosq;* *Blasto*, cubiculi Regalis Herodiani Præfetto, pacem petere, iratumq; ita sibi Regem placare, idq; prudenter, quia sc. regio *Tyriorum* alebatur à regiâ, unde illis advehebatur annona: ubi cum historiâ de *nece Jacobi & miraculo carceris Petri* extemplò subjiciantur *ira Herodis in Tyrios & ab his petita pax*: huic autem infelix *Herodis exitus* v. 21. illam *ἑστὴν ἡμέραν* s. statutum diem, quo Herodes indutus veste regiâ, eâdemq; fulminâ ad auditam admissamq; non à *Tyriis & Sidoniis*: sed à populo *Cæsariensi* factam acclamationem *divinitatis*, velut *læsa majestatis divinæ* reus, per *impressam fortiter intestinam morbosam & lebisferam qualitatem*, ab *Angelo Domini* (feralis bubo *Josephi* non probat illum ex atrâ caligine Angelum fuisse) percussus & *σκωληκοειδής* s. verminatione excesus, celeritèr est extinctus, v. 22. 23. vel propter Legatos illos indictam, vel saltem eandem fuisse, quâ Legatis solemnem in celebribus pro *Cæsaris salute* *Cæsareâ adoracionis ludis*, audientiam daturus, iisq; sententiam pronuntiaturus erat, ut tanto gravius & conspectius esset Regis *Apostolorum carnificis & grandis Christianissimi persecutoris supplicium*, non defuit post *Lyrannum*, qui

statuant, ut ita illud in v. 23. de *Herode sedente pro tribunali concionante* *αὐτῶς αὐτῶς* referatur ad Tyriorum & Sidoniorum Legatos: pro quo facit illa *ἡ δὲ ἑστία*: neque publica ludorum solemnitati & laetitia de quo, & totâ hâc historiâ legendus Josephus l. 19. antiqv. c. 7. repugnat, publicatum tunc de *suggestu, imperante Blasto*, Tyriis & Sidoniis, latum *Pacis* responsum: sed & tempestivè à Rege lato, etsi propiori letho, lata pax petebatur, & à Rege tunc, potentium gentium Legatis precantibus, majore nominis gloriâ dabatur: unde jam ille clamor, ad quem de Rege conclamatum, & sic illustratum *Θεὸς ἤλασεν* illud Regis supplicium.

Concl. 12. Ita etsi corporali splendore insignitèr deminuta, quam compensavit gloria Christi, stetit Tyrus ultra tempora *αὐτῶς αὐτῶς* Messia beatissima adusque A. C. 1128. ubi *maximâ populi strage effecta, motuq; terra subruta*, cum vilior semper renasceret postea à *Turcis* deleta, qui etiam nunc servant portum qui vocatur *El porto de Sur*. Tripolin superioris & nostri seculi ibi, ubi quondam Tyrus, non desunt qui statuant. Neque ausimus negare potuisse *Tyrum, Sidona, Aradum*, quondam Tripolin dici, vel à 3. illarum urbium Colonis, vicinam Tripolin & quæ olim fuit, & quæ nunc est, condi, inhabitari, appellari: cœterum & Tripolis antiqua (cujus jam longè ultra seculum rudera saltem superfuerunt, & si quæ eruta illis, antiquitatis monumenta) & nova, trium dierum itinere Tyro dividuntur, intercedentibus inter hanc & illam præter & post Sidonem, *Beritho* (vel *Barutho*) *Biblo* (hodie *Jubileto*) *Bosri* (Patron hodiè) celebribus quondam urbibus (à quibus modico intervallo adeò vicinis, ut unius dici itinerario adiri possint, propior ratio nominis) sed & promontorio *Euprosopo*, & vasto, cui nomen *Adonis*, fluvio: sed & *Antilibano*. Ita varia hujus *ἡ* seu Tyri antiquissima metropoleos, ætates se habuerunt.

Concl. 13. Nominavimus supra *Tyrum & Idololatricam & Christianam*. Labet de utraq; paucula subjicere. Antiquissima memoria *Cbirami* (ante quem vel nulli Tyrii Reges, vel, si qui vixerent, *quia vate carent, omnes illacrymabili urgentur ignotiq; longâ nocte*) Regis: de quo supra plura. Cœterum tunc, etsi *idololatricam & infidelam*

infidelem fuisse, propugnant Alfons. de Tost. Abul. Episcop. Thom. de Vio Card. Casp. Sanct. Centumputeol. Joh. à Pined. Hisp. in Salom. præv. Jacob. Saliarius Avin. in Annal. V. T. veri DE I Israelis Confessorem, & religionis quoque vera professorem fuisse ex vinculo amoris & fœderis Davidici 1. Reg. 5. 5. 1. 12. ex breviario fidei & Confessione solemnè 2. Chr. 2. 3. 11. ex candidissimo Synergismo architectonica templi, ubi omnia arguunt in Chiramo נרבוהו f. Spiritum spontaneitatis unde processit illa נרבוהו f. summè spontanea contributio 1. Reg. 5. 9. conf. 1. Chr. 30. 16. 17. nos potiùs concludimus. Octavus à Chiramo fertur *Ithobalus Astarte Sacerdos*, cujus filiam Ifabelem fœdè Idololatricam, duxit Rex Israelis scelere ante alios immanior omnes, Achab 1. Sam. 16. 30. 33. tantò corruptior inde cultor Idoli Baal, quia parebat insanienti superstitione & tyrannide Isabeli 1. Reg. 21. 25. 26. cujus Isabelis dignum fœdà superstitione supplicium designatum vid. 1. Sam. 21. 23. adimpletum 2. Reg. 9. 33. 34. Undecimus à Chiramo fertur *Pygmalion*, interfector Sichæi mariti Didonis, à quâ, Byrsa & *Carthada* (quod Phœnicum ore exprimit civitatem novam) eademq; sermone verso in morem Punicum *Carthago* dicta, in quam simul fœdà superstitio Tyriorum translata cum colonia. Incidunt autem illa *Carthada* sub Didone initia in annum Templi Salom. 144. ante natum Christum 869. (atque adeò maxima pars l. 1. & totus l. 4. Æn. Virgilii fabula est & commentum Poeticum, sine vero) uti initia regni Tyri, quæ ex Tyriorum annalibus habet Josephus, 240. annis ante fundatum Templum Salom. ante Christum 1247. P. I. 3467. Apparet in eadem communiōe Idololatricâ perseverasse Tyrum, parentis loco cultam, cum filiâ f. *Carthada*, in illo inter *Babylonicum* & *Macedonicum* excidium intervallo, atque adeò illam Tyrum renatam nihil remisisse de Idololatriâ *Palatyri*. Vel unus Curtius hîc instar multorum habet. Meminit ille *Apollinem* & præcipuè *Herculem* eximia religione cultum Tyriis, ejusdemq; numini urbem dicatam, arâ temploq; splendidissimis ei consecratis: ad hujus anniversarium sacrum more patrio celebrandum, tunc advenisse Legatos Carthaginensium: Meminit ille simulacrum *Apollinis per Pænos*, quorum classibus maria tunc obsidebantur

bantur, Syracusis delectum, ab illis in majore patriâ Tyro se locatum: à Tyriis autem, ne novissimè aufugeret Apollo, aurea catena devinctum, ipsiq; ara Herculis Vinculum inferum. Meminit fœdum Tyriorum sacrum, quo ingenuus Puer Saturno immolabatur, cujus, cum ob pudendam superstitionem, multis seculis intermissum fuisset, repetendi, velut novissimi remedii autores, fuisse inter obsessos ab Alexandro Tyrios, idem memorat: sed Seniores, quorum Consilio cuncta agebantur, obstetisse. Addit: Hoc sacrilegium verius, quàm sacrum Diis minimè cordi esse crediderim. Dubium an illius diræ superstitionis reliquæ sint, quod Baumgartnerus, qui Anno 1508. Tripolin Tyro vicinam iustavit, meminit: Esse non procul à Tripoli Sectam, quæ Christianam se jactitet, cum Diabolica potius sit appellanda. Misceri in antris promiscuè, eciam patrem cum filia, filium cum matre: ex illo fœditissimo concubitu masculos quosdam singulis annis circumcirca punctos necari, eorumq; sanguine sacrificari: fœminas reservari. Satis de Tyro Idololatricâ.

Concl. 14. Tyrum Christianam non tam probat locus Matth. II. 21. (propter illud πάλαι, quo ipso tamen πάλαι τόπος s. ipsa Paletyrus, qualis vel ante Alexandrum, ex hypothesi miraculorū præfertur impenitenti Messiaε πλεώσων) patria, & longè magis Tyrus, qualis tunc erat, quando illud εἶπεν publicabatur vid. v. 21. 22.) quàm Salvator, amore Tyriorum convertendorum procedens & veniens in fines Tyri & Sidonis Matth. 15. 21. ut ita per viscera misericordie DEI nostri visitaturus genus humanum, post Israelem velut populum illum ambulancem in tenebris, (Isaia 9. 1.) etiam esset Lumen affulgens illis quò sedent in terra umbrae letalis (vid. ibid.) neque ibi Sol potuit latere. Prodidit illum ἡ γυνὴ ἐπὶ αὐτοῦ, quia non Judæa, & σὺ Φοινίκιος αὐτὸς ἦν s. ex illâ Phœnicia quæ tangebatur Syriam, in cujus filiâ miraculum illustravit Tyrum vid. Marc. 7. 24. 26. 31. Testantur Tyrum Christianam illi numerosi Salvatoris Acoluthi, de quibus Marc. 3. 8. Luc. 6. 17. Testatur ex persecutionibus Ecclesie dispersio prima occasione lapidati Stephani & Symmarcyrum. vid. Act. 26. 10. (vid. Act. 8. 1. 2. 3. & Aug. de C. DEI 1. 18. c. 52.) unde in viciniam

cinam Tyrum non potuit non redundare magna turba Martyrum & Evangelistarum vid. Act. 8. 4. in primis, si 15000. Confessorum Palæstinâ tunc ejecta, quod vult *Baronius Tom. 1. annal.* & si in ipsam Galliam, & inde in Britanniam tunc venit *Ioseph ab Arimathea*, alii dispersi Apostolici in *Masiliam*, quorum illud ex *Vaticano MScripto* habet idem *Baronius*: hoc autem *Claudius Effeneus in Catalogo de Gallia Apostolis*. Verosimile, factum idem ad secundam persecutionem, in quâ Jacobus obruncatus, & Petrus ad mortem designatus, de quo vid. toto c. 12. Act. Testatur *itinerarium Paulinum navale Syriacum*, in quo commendatur Tyrus, quâ magno sanctæ dilectionis ardore *Paulum festinantem* septem dierum contubernio dato detinuit, & ut quam diutissimè Apostolo presente frueretur, iter Jerosolymitanum, vel saltem ad illud festinationem disvasit, quæ novissimè (cum frustra distarentur causæ morandi) urbanâ pariter & religiosâ deducendi ratione, cum uxoribus & liberis, ad portum usque, extra civitatem Apostolo profecturo comes ivit, & dimisso inter amplexus & oscula Paulo, positus in litore genibus, oravit Act. 21. 5. 6. 7. Eminuit inde Tyrus Christiana, & talis fuit sub Constantino M. à quo indictum Tyri anno 335. Concilium, quod initio *Athanasianum* & sanctum, degeneravit sub schemate politico in Searabeum, damnato & ad Treviros relegato Athanasio, (videantur Acta Conciliorum Cent. Magd. Cent. 4. c. 10. p. 1042. Petav. ad illum annum) Mansit sec. 6. & infestata sæpè Barbaris, esse Christiana non desit etiam sec. 11. & 12. sub *Godefr. Bullioneo*, *sejus demq; fratre Balduino*, *Christianis Regibus Hierosolymorum*: sub hoc tamen, terrâ motu magna Tyrus passa stragem, tota ferè subruta, adeò ut hodiè non nisi gloriæ veteris exigua simulacra ostendat sub Turco.

Concl. 15. Fuit hactenus inscriptio *Pharasehæ Prophetiæ* seu *Ⲛⲱⲟ*, de quâ prolixius paulò agendum fuit propter amplitudinem *Ⲛ* seu *Tyri* in sacris celeberrimæ, & per historiam ostendenda lux Prophetiæ. Sed & expediendæ etiam nunc occasione inscriptionis *Questiones* aliquot. *Quæritur* adeò 1. *Quanam illa* *Ⲛ* seu *Tyri*, cui hic *Massa* dedicatum? *Resp.* Si nova vel *mystica* *Tyri* c. c. *Roma*, contradistingvatur veteri *Tyro metropolitana Phœnicum*,

nicum, Aff. poster. Si ipsa *Tyrus* vetus distingvatur in *ante-Babylonicam* & *post-Babylonicam* s. *Persicam*, qualis sc. fuit sub *Persarum* imperio adusqve *Alexandrum*, concludimus pro *Tyro* veteri posteriore, cujus desolandæ respectu concionatus hîc Propheta, quam si in comparatione prioris *Palætyri* novam vocare velis, concedimus hîc Prophetiam & de *Tyro* veteri & novâ diverfo respectu. Ita de primo sentire nos jubet tituli suppositio, talis hîc, qualis in prophetiis sub titulis *Massa* antecedentibus e. c. *Babel*, *Philist.* *Moab*, *Damasci* &c. ita *Syllabus* nationalis apud *Jeremiam*, in quâ expressè memorantur etiam *Reges Tyri*: ita *Characteres materiales singuli*, qui conveniunt antiquæ *Tyro*: sed & *Tyrus consecranda* l. *conversa* & 70. illi anni, quorum mentio in hujus *Massa* clausulâ movent, ut ita sentiamus de secundo.

Concl. 16. Fuit *Quæstio* una & *Conclusio*: *Pharascbam* hanc cujus titulus *ἡ Τύρος* non esse in sensu literali intelligendam, nisi de *Tyro* veteri. Patet inde, quo loco habendi quidam *Rabbini*, qui de *Venetis* interpretantur, eminentissimâ, fatemur, & legum facticæ felice Republicâ *Virgine*, jamdudum ævum millenarium (condita quippe seculo V. à nato Christo sub *Theodosio II.* & jam exempta imperio orientali & occidentali, libera & mediatrix Respublica seculo ordiente 9. sibi *Carolo Magno*) excedente, suâq; adhuc *Musica*, dum aliæ Respubl. gemunt sub servitute, non sine gloriosiorib^o palmis, utente: sed & mercaturæ opumq; splendore, inprimis, anteqvam *Gvaseo Gama* Lusitanus insolitum per iter superato bonæ spei Capite adibat *Indos* orientales (factum a. illud anno C. 1498.) verè talis, qualis quondam *Tyrus* Propheta. Quid opus autem, ubi in *Tyro* habes, quicquid sub *Tyri* titulo publicatur, *Venetias* ite nondum tunc natas? Non de accommodatione quæritur, quæ plus libertatis habet & juxta quam licebat æqvè vel *Amstelodamum*, vel *Londinum*, vel *Genuam*, vel *Hispalin*, hîc sub *Tyri* titulo fingere: sed de sensu literali adequato menti Spiritus S. revelantis, qui non est pluralis, exceptis paucissimis quæ eadem literâ geminum sensum literalem, ex intentione Spiritus S. proponunt, & typum simul & antitypum, subordinando alterum alteri, comprehendunt, dictis.

COROLLARIA.

- I. **A** Nrectè Rivetus in Dialog. Grot. discuss. p. 127. sententiam illam, quæ per mundum, quæ DEUS in Christo sibi reconciliavit, non imputando eis peccata 2. Cor. 5. 19. intelligit nec solos electos, nec objectivè, formaliter Electos: sed omnes omnino homines, etiam partem illam mundi ut pejorem, sic majorem, ut auditu horrendam & Pucellam proclamet? Resp. Neg.
- II. Quomodo Achasia 2. Chron. 22. 2. dicitur Rex factus post mortem Patris, fuisse 42. annorum, cum Pater Achasia Joramus mortuus, natus fuerit non nisi 40. annos? Ergone filius natus est biennio ante Patrem?
- III. Quomodo idem 2. Chr. 22. 2. dicitur anno regni i. fuisse 42. annorum: at 2. Reg. 8. 26. dicitur fuisse 22. annorum?
- IV. An positus 1. Cor. 9. 5. possit ita exponi, ut notetur illam ἀδελφῶν γυναικῶν esse & Sororem in Christo, & Uxorem circumducenti? A.
- V. An σὺγγενῶν γῆσι Phil. 4. 4. rectè à Græcis Scholiastis statuatur nomen proprium? Resp. N.
- VI. An Synestus Epist. 90. per συγγόν θῆμα intelligat tribunal Politicum, an subsellium poenitentium? Resp. Aff. 2. contra Baronium, cujus hic error γῆλαος jam olim notatus à Casaubono.

Præstantissimo Dn. FROMMIO, SS, Theol.

Studiofissimo S. P. P.

ESAIÆ vati, FROMMI, conjungeris aptè:
 Ominis eximii res ea lumen habet.
 Scripturis totis quæquam se jungere magnum est,
 Attramen Esaias eminet inter eas.
 Eminent inter eos Esaiæ cultor & ipse,
 Qui scripturarum cognitione flagrant.
 Te Scriptura PROBUM facit, Esaiasq; revelat,
 Esaiæ Dominus pergit amare PROBUM.

Joh. Georgius Dorscheus, D.

Imminet Emporiis, non submittentibus uni
 Cervicem sceptrò, poena, ruina, dolor.

Hæc

Hæc meditanda, Tyri sub imagine, reddis; & olim
Veridico Vates protulit ore DEI.

Cum gratul.

Hermannus Schuckman/ Th. D. & P.

Ad floridissimum DN. Responsum
de T T R O I. Z O R.

FROMMI, noster Amor, Elmi decus atque Roseti
Pro studio, palmas ZOR tibi sancta dabit.

Ita voveo

A. Varenius, D.

Ceu Tyrus & Sydon, urbes perire potentes,
Sic hodiè, heu! pereunt oppida, regna, domus.
Non est hæc hominum, sed summi flamma Tonantis,
Vindice qui dextrâ, tam fera bella mover.
Quisque suum portabit onus! sed Numine, FROMMI,
Placato, in vita qui probus esse studet,
Non his subjectus furis. Tu nominis omen
Fac habeas porrò! sic bene tutus eris.
M. ENOCHUS SVANTONIUS, ad D. Jac Ecclesiastes.

CHRISTIANUS FROMMIUS.

Per Anagr.


CHARUS MUSIS FIT MINOR?

QVI MUSIS CHARUS MINOR haut FIT, Musa subindè
Dignum laude Virum tollit amatq; suum.
FROMMIUS & superis MUSISq; probatus, iisq;
CHARUS, erit MAJOR, non erit ille MINOR.
Vix auditus eram, vix & SCHRÖDERUS, & ecce!
Mox seqveris; ratio; non cupis esse MINOR.
VARENIUS vivat (qvo Præside crescit honora
Musarum proles) Butzoviumq; meum!
Butzovium, volumus cui sacros jure labores,
Per Te comperiat gaudia multa, precor!

Sincero affectu compulsus fundebat præproperè

M. Andr. Daniel Habichtthorst, Bütz., Meckl. P. C. L.

☉☉:(o):(☉)



ORATIO XII.

Concl. II. Ita binis jam gravioribus casibus
 hoc quoque excidium *renata Tyrus*, unà cum opulen-
 titimarum urbium tunc faciliè maximâ, & longâ pace
 (verba sunt Curtii l. alleg.) *sub tutelâ Romane m-*
quiescens, eminuit (etsi ex quo Insula esse desit anno
nunquam ad par terrestris gloriæ fastigium rediit
cissima tempora SALVATORIS: unde in historiâ
quens metropolium celeberrimarum Tyri & Sidon
& exemplum ingentium illorum Spirituum, quo
runt Alexandro, deminutorum, memoratur Act.
prudens, qui cum Herodes, non Ascalonita, nec Antip-
Magni Herodis, sub quo natus Christus, ex Aristobulo
Θυμουραίων i mente bellum moliens, iudicturus mo-
Sidonis (causam iræ Baronianam ex antecedenti c-
taphrastra suo malè deductam, de Petro ex carcere libe-
rios Sidoniosq; Ecclesiarum ibi regendarum causâ profus-
tim) hi domi concordēs maluerunt occupare, & mis-
one, persuasosq; Blaſto, cubiculi Regalis Herodiani Præfeci
iracumq; ita sibi Regem placare, idq; prudenter, quia se-
alebatur à regiâ, unde illis advehebatur annona: ubi
vece Iacobi & miraculo carceris Petri extemplò subji-
dis in Tyrios & ab his perit pax: huic autem infelix He-
illam (Αρτυν ημεσων i. statuum diem, quo Herodes
giâ, eademq; fulminâ ad auditam admissamq; non
niis: sed à populo Cesariensi factam acclamationem
laxâ maiestatis divinæ reus, per impressam fortiter
bosam & lechiferam qualitatem, ab Angelo Domini (fer-
non probat illum ex atrâ caligine Angelum fuisse
σωληνισμῶν i. verminatione excusus, celeritèr
v. 22. 23. vel propter Legatos illos indictam, vel sal-
isse, quâ Legatis solemnem in celebribus pro Cesaris sala-
natis ludis, audienciam daturus, iisq; sententiam pronun-
tantò gravius & conspectius esset Regis Apostolorum can-
Christianismi persecutoris supplicium, non defunt po-

Ff 2

